Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

9 9

hec adiumenta sint efficacium apprehendat.
Igitur uigilie. ieiunia. meditatio scripturarum. nuditas ac priua
tio omnium facultatum. non perfectio sed perfectionis instrumenta sunt. quia
non in ipsis consistit. discipline illius finis sed per illa peruenitur ad finem.
Incassum igitur hec exercitia molietur quisquis his uelut summo bono con
tentus intentionem sui cordis huc usque defixerit. et non ad capien
dum finem propter quem hec appetenda sunt omni studio uirtutis exten
derit. habens quidem discipline illius instrumenta. finem uero in quo omnis
fructus consistit ignorans. Quicquid igitur potest istam mentis nostre
puritatem tranquillitatemque perturbare. quamuis utile ac necessa
rium uideatur. ut noxium deuitandum est. Hac enim norma et errorum
peruagationumque omnium dispersiones poterimus euadere. et deside
ratum finem linea certe directionis attingere. VIII.
Hic ergo nobis principalis debet esse conatus. hec immobilis desti
natio cordis iugiter affectanda. ut diuinis rebus ac deo mens
semper inhereat. Quicquid ab hac diuersum est. quamuis magnum
secundum tamen aut etiam infimum. seu certe noxium iudicandum est.
Huius mentis uel actus figura etiam in euangelio per martham et mariam
pulcherrime designatur. Cum enim martha sacro utique ministe
rio deseruiret. ut pote que ipsi domino eiusque discipulis ministra
bat. et maria spiritali tantummodo doctrine intenta ihesu pe
dibus inhereret. quos osculans bone confessionis linibat unguen
to. prefertur tamen a domino quod et meliorem elegerit partem. et eam que
ab ea non possit auferri. Nam cum laboraret martha pia sollicitu
tudine ac dispensatione distenta sola se uidens ad tantum
ministerium non posse sufficere. adiutorium sororis a domino postu
lat dicens. Non tibi cure est quod soror mea reliquit me solam ministra
re. Dic ergo illi ut me adiuuet. utique non ad uile opus sed ad lauda
bile eam ministerium prouocabat. et tamen audiuit a domino. Martha
martha sollicita es et turbaris erga plurima. Paucis uero opus